DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

AUCTORE JOHANNE FITZGERALD.

PROOEMIUM.

Corporis humani Intestina multis et gravibus malis obnoxia sunt. Fabrica quidem iis satis simplex est, neque textus quibus constant morbo supra modum apti sunt, sed perpetua fere rerum alienarum praesentia, et insigne cum aliis partibus consortium effecêre, ut multiplici morborum serie vexari constet. Praeter enim secretionem propriam, vix unquam aëre impuro, alimenti reliquiis sordidis vacua sunt; levissimae quaeque aëris ideoque muneris cuticularis mutationes, alvum mire et subito

efficiunt. Quinetiam si nihil ejusmodi fieret, copiosae nec raro satis acres secretiones Jecoris, Pancreatis, Glandium Salivalium, irritamenta Concretionum, Vermium, Acidi inibi generati; facilis propter abdominis laxitatem laesio, involutio, strangulatio, causarum morbidarum abundè suppeditarent.

Intestinorum quidem morbi plerique acuti sunt, atque saepius febrem satis acrem sibi comitem habent. Hujusmodi Dysenteria est, quae naturam Epidemicam cum actione topica conjungit. Variat quidem ingenium ejus pro causa, regione, conditione corporis, sed longe saepius epidemicè cum febre plus minus gravi grassatur, praesertim apud incolas regionum soli propiorum. Quinimo Hiberniam nostram, licet miti ac aequabili temperie utentem, saepenumero invasit; multos occupat, nec paucos letho dat. Visa igitur mihi est Dysenteria haud inutile dissertationis inauguralis argumentum fore; et quamvis tenuis adhuc brevisque nostra experientia, nihil habeat, quod scientiae medicorum de Dysenteria addat, opiniones saltem et idoneae curationis fundamenta ab aliis ac peri-

tioribus hausta, nostris verbis tradere liceat. Fas igitur sit, quanquam artis scribendi rudibus, rem aliquo modo ordiri: veniam simul si quid inepte fuderit calamus juvenilis, Doctos Censores precatis.

DE HISTORIA MORBI.

Dysenteria maxime in Autumno saevit, et morbi impetus aliquando anteceditur astrictione alvi inflationeque, fastidio cibi, Cardialgia, frigoribus ardore per cutem exceptis, frequenti pulsu; tunc tormina, cupiditasque desidendi subeunt. Cum inferior pars intestini canalis fit inflammata, dejectiones magis frequentes sunt, minusque abundantes, et quaeque dejectio molestis torminibus praeceditur, et in intestinis insolita inflatio est.

Hoffman sic eleganter Dysenteriae impetum describit: "Cunctas vero dejectiones, quae sunt numerosissimae, antecedunt, et comitantur crudelisissima tormenta, non in uno loco fixa, sed per totam intestinorum canalem vago itinere progredientia, et sub quavis sede sentitur molestissimus om-

nium quasi viscerum descensus." Facies dejectionum et in concretione coloreque est varia, interdum spumantis muci cruore mixto, aliasque aquosi humoris elotae carnis similes, foetidoque odore. Interdum accidit sincerum cruorem excerni, massae coagulati albuminis frustum casei similes, in evacuationibus observantur. Interdum dejectiones ex his tribus variis materiis consistunt. Hae ab tempore, donec morbus se remittet, naturales faeces raro evacuantur; nisi catharticum alvum bene movet, et per inferiora purgat, et tunc massas referunt singulas et duras, " Scybala," vocatas. Ubi haec conatibus naturae aut artis ope evacuata sint, tenesmum et desiderium dejiciendi frequens, et omnia alia symptomata multum levantur. Haud infrequenter accidit, nisu ex magno dejiciendi hanc materiam, ut portio recti deorsum impellatur, quod multum doloris et molestiae per morbum gignit.

Quocunque in modo incipit Dysenteria, cito veram indolem ostendit, et interdum paucis in diebus in morte finit. Si idonea medicamina non adhibita fuerunt in primo acutoque morbi stadio, et non alvum moverunt, febris inflammatoria comitans

primum stadium morbi, cito Typhi speciem induit, cum se trahens omnia infausta morbi indicia, nimirum, parvum et debilem pulsum, prostrationem virium, corporis emaciationem, frigiditatem membrorum, glutinosos sudores, delirium, singultum, subsultum tendinum, ulceratas fauces, invitas dejectiones, dolorem circa praecordia, inflationem abdominis, vomitum materiae biliosae, gangraenam. Haec symptomata cum adsunt, medico quidem quam infaustissima visa, et nisi remissio cito venit, mors, amica mors, finem miseriis imponit.

Totius corporis diaphoresis, moderata pyrexia, dejectiones minus frequentes magisque naturalis concretionis, torminum et tenesmi extenuatio, fausta indicia sunt.

DE DEFINITIONE.

Cullenus classe Pyrexiarum ac ordine Profluviarum Dysenteriam collocavit, sicque definit. "Pyrexia contagiosa, dejectiones frequentes mucosae, vel sanguinolentae, retentis plerumque faecibus alvinis, tormina, tenesmus." Oportet me vix di-

cere hanc Culleni definitionem auctoribus praesentis aevi multum objectam esse, quatenus saltem contagiosam ad naturam attinet; multorum enim sententia est, conditionibus in solitis munditiae bonaeque ventilationis, vix aut ne vix quidem Dysenteriam contagiosam esse. In Carceribus, vel Nosocomiis, ubi aegri congregati sunt, et ubi ventilatio munditiaque non aptè curatae sunt, sine dubio, Dysenteria contagiosam speciem induat, profectoque his in rebus illud cuivis morbo accidat, etiamsi natura antea contagiosa minime fuit. Recens scriptor, (Harty) inquit, Dysenteriam saepe Typho conjunctam esse, et tantum hac in forma pestiferam; alii sentiunt contagionem ex stercoris effluvio, et non febrili perspiratione vel spiritu oriri. Cullenus credidit, frigus hunc morbum nunquam attulisse, nisi cum contagio ante accepta fuerit, solamque excitantem causam Dysenteriae specialem contagionem fuisse. Haec opinio jam habetur dubia, si non falsa; apparetque mihi, ut altera sententia modo citata, etiam falsa haberi possit; quia nobis multa exempla factaque sunt, quae Dysenteriam in rebus jam perpensis minime contagiosa esse natura, monstrant.

Scimus inter *Tropica*, ubi contagio sese raro ostendit, Dysenteriam saepe navales inter scocios subito irrumpere, ex temperiei vicissitudine clare orientem; castrisque cum milites nocturnis vaporibus nebulisque objecti sunt, praesertim ardentem post diem, vel madidis in vestimentis recumbant, pars eorum subito Dysenteria opprimentur, parsque febre autumnali.

Sydenham mentionem facit nullam contagionis sequentis Dysenteriam quam describuit, et Willis de eodem morbo loquens, distincte affirmat eam non fuisse contagiosam. In Autumno, 1808, quendam ad modum grassabatur in Londino, quum nunquam semel observatum est, quavis in familia alterum adoriri, dum ejus causa, haud dubio ad corpus frigori et humori objectum, investigari potuit. His cum multis aliis factis probant recentes medici Dysenteriam non contagiosam esse.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Dysenteria videtur a frigore, humoreque, magno ardori subito succedentibus, ortum trahere; qui-

bus assueta perspiratio suppressa est, et impetus intestina versus factus. Possit etiam oriri, ex usu insalubris victus. Liquorum spirituosorum nimius potus hunc morbum inducere cognitus est. Multi scriptores, Dysenteriam usui fructus, vel bilis nimietate, vel causis utriusque imputaverunt; sed hae falsae opiniones ea ex re ortae esse videntur, quod morbus eo anni tempore grassatur, quo fructus est abundans, biliosique morbi observantur. Nunc tamen bene confirmatum est, usum fructus, morbum non inducere, sed contra ex usu est, in ejus remedio, quae res a Pringle equite illustri probata est.

Quod ad bilem pertinet, non dubitatum est, Choleram in Dysenteria saepe finire, quae certissime interruptione primariae dejectionis, astringentis soporiferisque medicaminibus illata est.

Praeter has causas, multae quanquam obscuriores Dysenteriae gignendae idoneae sunt. Scybala alvo retenta, bilis vel alia secretio praeter modum acris, ingesta acria, miasma paludum, vermes, morbi Hepatis, exanthemata retro pulsa, bonis auctoribus malo originem praebuisse visa sunt. Dif-

ficile quidem saepe fit inter causas excitantes et praedisponentes distinguere ; saltem ea qua par est accuratione.

DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

Praedisponentes Dysenteriae causae videntur esse quicquid proclivitatem habet corpus debilitare. Haec sunt ebrietas, immodica Venus, dolor, metus, anxietas, vigilia, tormina, malus victus, olerum defectus, aër impurus. Hujus species tres recensa solent, inquinatus, humidus, miasmaticus. Sic gasia faetida cloacarum multis alvum movent, et iis ubi versatis Dysenteriam inducere dicuntur, saltem proclivitatem conciliare. Coelum humidum quoque, causa Dysenteriae praedisponens habetur, nec alia videtur ratio frequentis ejus aggressus apud cives Belgii et Iernes. Longe vero potior aëris impuritas e miasmate paludum ducitur. Haec corpori admota paulatim vires imminuit, alvum inordinatam facit, et viam Dysenteriae cito sternit.

DE CAUSA PROXIMA.

Causa proxima, vel intestinorum status, quo symptomata memorata in morbi historia nituntur, inflammatio est mucosae membranae, praesertim colon tegentis, una cum fibrarum musculorum constrictione. Hae duae res indicia satis explicant. Faecibus in cellis coli retentis, cum illud intus inflammatum est, defectum naturalium dejectionum, magnam et frequentem desidendi cupiditatem, tormina, doloremque, et etiam tenesmum explicabit, quae postrema etiam explicabit sanguinis striarum causam, et muci secretionem, quem inflammata tegens membrana tam large effundit.

DE DIAGNOSI.

Non arduum est ni fallor Dysenteriam ab his morbis dignoscere, cum quibus saepe confundi dicitur. Hi sunt, Colica, Cholera morbus, Enteritis, Diarrhoea.

Colica a Dysenteria facile distingui potest Pyrexiae absentia, dolore abdominis circa umbilicum torquente, ejusque spinam versus retractione; ab-

dominis musculorum spasmis, alvi obstipatione, nimio vomitu, quum morbus nonnunquam ileus appellatur.

Cholera a Dysenteria distinguitur copia bilis immensa, quae et vomitu et sedibus ejicitur, viribus propter evacuationes subito prostratis, spasmis musculorum cruralium fere ultra patientiam urgentibus; vomitus aliquando materiae biliosae in Dysenteria apparet, sed spasmi nunquam adsunt.

Diarrhoea a Dysenteria distinguitur; torminibus, tenesmoque multo levioribus, sine pyrexia, faecibus non cruore mixtis, sine odore faecum Dysentericarum proprio, dejectionibus foecum tenuem, humoris lactei vel ingestorum parum mutatorum.

Enteritis a Dysenteria distinguitur, vomitu fere constante; pyrexia magis saeviente; alvo pertinacius astricta; dolore magis fixo, tactu abdominis aucto; tensione, praecipue circa umbilicum perquam molesta.

DE PROGNOSI.

In sententiam proferendo de exitu Dysenteriae, medicum oportet esse percautum, et symptomata

quae adsunt accurate investigare, praecipue aetatem viresque aegroti, et stadium ad quod comitans febris orta est. Cum medicamenta data non indicia sublevant, cum tormina dejectiones non minuunt, faetidaeque sunt, et sine voluntate mittuntur, cum pulsus debilis et intermittens est, constat morbum in propinquo esse, citiusque, si frigidi sudores, pallor moerorque vultus, delirium, singultus, subsultus tendinum adduntur. Contra, si indicia jamjam memorata magno in gradu non adsunt, si febris non speciem Typhi induit, levisque est, et quum vires aegri non multum exhaustae sunt, si medicamina data alvum moveant, tormina tenesmusque subsidant, vix ac ne vix quidem medicum penes est prognosin faustam formare.

QUAE CADAVERIBUS INCISIS CONSPICIUNTUR.

Dissectio plerumque constrictiones coli patefecit, ubi formam partis gangraena prius non abraserat. Documenta inflammationis constanter reperta fuerunt; insolita crassitudo tunicarum intestinorum, coli rectique ulceratio, gangraena coli

rectique ad utrumque aliquando extendisse videtur. Pringle eam partem Venae Cavae, quae vertebram lumborum superjacit, morbo affectam esse invenit. Intestina tenuia fere inflata inveniuntur, sed alio in modo raro morbosa, vesica urinaria aliquando inventa est in gangraenam vergens, vesica fellea etiam in immensam molem aucta, bile coloris nigricantis repleta inveniebatur. Peritoneum aliaque abdominis tegmina plerumque inflammata fuerunt. Nuper apud medicos India medicinam facientes insignis orta est controversia an Dysenteria illius regionis Hepatitidem semper comitem haberet; tandem vero constat, eos morbos saepe sed non necessario conjungi; et Dom. Ballingal (Dis. Ind.) multa produxit exempla quibus nihil ejusmodi adfuisse constat. Partes intestini saepius affectae sunt caput coecum coli ex flexura sigmoidea, vel rectum. Exinde nonnunquam sursum per intestina tenuiora serpunt, sed raro ventriculum pertingunt, nec nisi in morbo citissimo, color intestini natura atrior: atque intus parvulas pustulas, tubercula, ulcuscula monstrant.

In thorace, vix notam morbi aliquam invenimus, nisi fortasse pulmones induant inflammationis spe-

ciem, et cor quibusdam amplificari videatur, vel saltem amplius justo fit.

DE MEDENDI RATIONE.

Juste dictum est per paucos acutos morbos esse, minus naturalibus corporis viribus pro remedio obnoxios, vel in quibus expressa indicia sunt magis fallacia quam in Dysenteria.

Quaedam morbi symptomata, astringentium administrationem exigere videntur; quales frequens ventris profluvium. Tormina, intestinorumque dolor, liberum medicaminum usum sedantium requirere videntur. Hic videtur fuisse modus antiquis medicis sequendus. Homini imperito non omnino errasse videntur, sed acriore judicio praedito, ratio talis sanandi sane per absurda et noxia apparet.

Quod ad optimum curandi modum attinet in Dysenteria, haud parva dissentio existere reperietur, quod ad malos vel bonos affectus venaesectionis hoc in morbo. Quidam putant hanc pernecessarium, dum alii jugulare hominem contendunt.

Certe cum his sentio, qui in hoc, multisque aliis

febrilibus morbis detractionem sanguinis vindicant, et quoniam primum stadium Dysenteriae, si omnino grave, febre inflammatoria comitatum est, videatur detractio sanguinis efficacissimum remedium ducendum est, et in quovis morbi stadio, nisi gangraena adsit, adhibendum. Inter eos qui detractionem sanguinis defendunt, reperimus J. Baker, qui sequenti modo loquitur : "Sanguinis detractionem, inquit, supervacuam fore, medicis incidit diu, inveteravitque malè fundata, malè ominata opinio. Id vero auxilium inter initia, maxime si signa inflammationis aliqua adessent, nunquam alienum deprehendi." Hoffman quoque de venaesectione dicit, "Multiplici ductus experientia statuo, quod in subjectis valde plethoricis, diaetae vinosae adsuetis, si Dysenteria cum febre continua comitatur omnino perquam sit necessarium venam ab initio morbi secare." Pringle inquit, "That it may be proper to begin with the venesection, though Dysentery of itself may not require that evacuation ; but from the accompanying inflammatory symptoms, it is frequently indispensable, and always conducive to the cure." Reperimus tropicam Dy-

senteriam, scalpello tractam esse, saltem a quibusdam chirurgis qui eam putant inflammatorium morbum. Venaesectio in levioribus et tutioribus morbi formis possit omitti, si indicia inflammationis non adsunt, et si dolor non sit constans et tantum subinde fiat. Hac in forma morbi, sine dubio aliis remediis cedere possit; sed initio morbi inflammatio est tam opportuna occurrere, et tam saepe in morte paucis post horis finit, si chirurgus non usus scalpello fecerit cum licuit, cito eum negligentiae poenitebit. In toto mihi videtur, ut stricta et matura attentio ad sanguinis detractionem, et antiphlogisticum regimen, in omnibus solitis morbi conditionibus, non modo vitam aegri, sed etiam medici famam servabit.

Emetica medicis in Dysenteria remedio data fuerunt, sed in administratione multa cura opus est, cum mala interdum sunt. Validissima sunt quum dejectionibus operantur, parvisque in dosibus dantur. Ipecacuanha ita data sursum et deorsum operari videtur, in Dysenteria bonum remedium, et omnibus medicis laudata est.

Antimonialia tamen praeferenda sunt accommo-

data ad morbum quam inflammatoriam praesertimque ad spasmum, quum in primo impetu, universa corporis relaxatio facta est. Hae praeparationes Antimonii, quae cutem afficiunt alvumque ducent eodem tempore, anteponenda sunt. Iacobi pulvis repertus fuit hoc ad propositum sufficere. Inter mitissima et certissima purgantia, adhibita ad alvum ducendam, sunt sales neutri; praesertim Tartras Potassae, Sulphas Magnesiae, Tartras Potassae et sodae, Sulphas sodae, Phosphas sodae, &c.

Haec tepido balneo fomentationibus adjuta, magno ex usu sunt.

In tenesmum aliosque molestos dolores sublevandos Enemata multum laudata sunt. Sine dubio aliquid boni efficere possunt cum rite facta ac opportunè administrata; apparet tamen, auxilium ex usu derivatum incommodis frequentem usum sequentibus aequalem esse.

Richter, de enematis loquens, dicit, " Neither did emollient injections do by far so much good as I expected, they for the most part came off again

without effect, they often encreased and renewed the pains."

Blane quoque hoc parvi momenti reperit; inquit, "They ever encreased the uneasiness, and made the patient feel languid and exhausted."

Dr. Harty Eblanae, qui scriptis suis Theoriam et curationem Dysenteriae illustravit, Ipecacuanam ex enemate in alvum injectam summis laudibus prosecutus est. Haud dubium est illud medicamentum Dysentericis in ventriculum receptum mire proficere, neque absurdum est credere eo intensius quo parti affectae propius admota est, virtutes Ipecacuanae, saltem magna ex parte, e Diaphoresi pendere, quanquam minime inficias eam quin ventriculum ac intestina ac solet pellendo, actionem naturalem horum restituere tendat. Olim specifica quadam facultate prodesse putabatur.

Neque minoribus laudibus a recente quodam scriptore submurias Hydrargyri elatus est.

"Sive purgans tantum reputes, sive sudorificam, sive deobstruans, nullum remedium Hydrargyrum in hoc morbo curando aemulari potest. Triplice enim ratione propugnat. Purgando alvum sordi-

bus suis liberat, sudorem movendo ejus actionem mire efficit, adque actionem regularem reducere tendit, obstructionem solvendo, bilem quae hoc morbo plus minus turbatur restituit."

Frictiones camphoratae, opii, vel quod melius est Hyosciami usus, dolorem et irritationem sublevant, atque maxime utiles demum evadunt, tamen nunquam in primis stadiis adhiberi debet. Si tormina et tenesmum remediis supradictis mitigare non possumus, vesicatorium, parti abdominis maxime laboranti nonnunquam affert levamen, et hoc remedium magis necessarium erit, si qua pars dolore fixo et conficiente vexetur. Astringentia et amara saepe insigni solatio sunt, saepe sala relicta praesidia. Horum optima sunt Catechu, Kino, Haematoxyli, opiata. Sed Catechu fortasse ut potentissimum astringens ita hoc morbo utilissimum remedium inventum est: et clarissimus medicinae Theoreticae in hac Academia Professor Andreas Duncan senior nos certiores fecit, se optimo illo medicamine jam multos annos et felicissime usum esse, semperque caeteris ejusdem classis praestare reperisse. Sed in Chronica Dysenteria de qua nunc

loquimur maximum commodum nonnunquam derivari potest, ab usu fasciae laneae, ita abdomini circumdatae, ut aequalem faciet.

Cum aeger ad sanitatem reducitur, et potest solitis muneribus fungi, oportet eum maxime praecavere, et sobrie vivere, et semper esse calide vestitum, ut morbus de integro recidere opportunus objiciendo frigori, humori, vapori nocturno coelo, vel subitis coeli mutationibus. Vestiretur etiam juxta cutem laneo cum panno pro veste, qui caute et gradatim, si unquam, deponi debet, verum ni fallor, si aeger eo totam per vitam deinceps utatur multo minus Dysenteriae malisque intestinorum dolentibus obnoxius erit.

FINIS.